



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm S. Leodegarii: Episcopi Augustodunensis: Ex eo quod Vrsinus, iubente Ansoaldo Pictauorum Episcopo conscripsit. Coronatus est anno Domini 685. sub Thodorico Francorum Rege.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

factus, paucis post diebus, in febrim incidit; qua aliquamdiu exercitus, tandem beatum Deo spiritum tradidit; corpus vero in basilica Maximini antistitis, suis curandum reliquit; in clytis admordum glorificatum signis: vincti siquidem soluti; obfessi liberati: & cæci ad tumulum eius illuminati.

Coruscet miraculis post obitum.

MARTYRIUM S. LEODEGARIII: Episcopi Augustodunensis: Ex eo quod Ursinus, iubente Ansoaldo Pictaorum Episcopo conscripsit. Coronatus est anno Domini 685. sub Theodorico Francorum Rege.

Vide Tom. 8. Annal. C. Baron.

BEATVS Leodagarius ex nobilissima Francorum progenie ortus, in primis ætatis initijs à parentibus in regiam Clotarij adductus ab eo Rege paulo post; Didoni Pictaensis urbis præfili literarum studijs imbuendus est traditus. Is autem Præfili eum cuidam sacerdoti, egregia morum honestate & eruditionis laude præfari, erudiendum tradidit; qui eum multis annis magna cura docuit, probeque institutum episcopo deinde reddidit. Receptum autem Episcopus suo cubiculo sub discipline custodia adhibuit; frequenterque admonuit, ut, quemadmodum ille, virginitatem ad extremum vitæ spiritum illibatam cõseruaret. Habebat in primis in votis episcopus, ut eum post se muneri episcopali admoueret; cui sane cum aptum & idoneum cerneret, annos ferè natum 20. Diaconum ordinavit. Deinde non multo post tempore Archidiaconus effectus, omnibus eius diocesis ecclesijs ab eodem pontifice præfectus atque prælatus est. Erat enim multis magnisque & animæ & corporis dotibus ornatus, & rara quadam facundia

2. Octob. Patria & Siema eius.

Traditur Didoni Episcopo instituendus.

Sacris inhiat.

*Proficitur
monasterio
S. Maxentij.*

dia præditus, & diuinarum literarum apprime eruditus. Defuncto autem per id tempus sancti Maxentij Abbate, iussu eiusdem Pontificis illud monasterium regendum suscepit. Quod sex ferè annos, tanta prudentiæ ac pietatis opinione administravit, vt famæ eius fragrantia in omnes partes dimanante, & Regis etiam aulam adimplente, ipse Rex Clotarius iunior, qui tunc temporis regni Franciæ habenas cum matre Baudilde moderabatur, eum ad se accersierit ac paulò post, perspecta viri virtute ad Augustodunensem episcopatum promouerit.

*Creatur An-
gustoduni e-
piscopus.*

Quo munere postquam decem annis strenue functus est, Clotarius vita functus Childericum Austrasiorum regem adolescentem regni successorem reliquit. Porrò Ebroinus, qui sub Clotario rege Maior domus fuerat, contentione Theodoricum Childerici fratrem Clotario substituere nitebatur: sed cum nomé eius apud Francos esset odiosum, reiecto Ebroini consilio, Childericus summo procerum omniù con-

*Ebroinus fit
monachus.*

sensu electus fuit. Tunc verò Ebroinus timore correptus, ne id sibi apud Regem fraudi foret, quasi aulicarum rerum pertæsus, in Luxouien- se monasteriù Deo deinceps militaturus concessit, & Leodegarius in eius locum Maior domus substitutus est.

*S Leodega-
rium fit Ma-
ior domus
Franciæ.*

Ea potestate antistes accepta, Regem adolescentem ijs breui informauit moribus, vt cuncti sibi talem tamque facilem, & benignum Regem habere gratularentur. Interim cum hæc annis ferè tribus, multo cum decore ageretur, quidam facibus inuidiæ à dæmone incensi, inter Regem & antistitem discordias seminârunt aded

*Seminantur
discordiæ in-
ter Regem et
Leodegariũ.*

adeò pestiferas, vt ipse Rex viro sancto exitiũ
machinaretur. Cognitis autem insidijs, antistes
habito cum suis consilio, vna nocte, Rege cun-
ctisque regni proceribus, & mundi opibus re-
lictis, iter ad Luxouiese monasterium susce-
pit, vt ibidem pauper Christi effectus, in silen-
tio & quiete Deo seruiret. Eo tempore Leode-
garius Ebroinum clericum inuenit, eumque
modis omnibus sibi conciliauit, & veniam, si
quid in eum peccasset, humiliter petijt. Fuere
tamen ab Abbate seiuncti, vt contracta quon-
dam, per cõtionem in Regis electione, odia
dignis pœnitentię operibus expiarent. Interea
ipsi, inter monachorum contubernia, tam stren-
nuè se gerebant, vt nullis vnquã vel prosperis
vel aduersis à monastico instituto auelli posse
viderentur. Sed, vt dici solet, gaudetur vbi
bene se habent principia, sed exitus acta pro-
bant.

*Leodegarius
se confert in
Luxouiese
cœnobium.*

Per id tempus sublato ex humanis Childerico
rege, Theodoric⁹ ad regni scepra peruenit. Ibi
tunc vtriusq; amici ingenti studio & fauore
eos ad propria reuocarunt; & antistitem, po-
pulo mirificè gratulante, in sedem suam resti-
tuerunt. Porro Ebroinus pristini honoris titi-
latus blanditijs, nocte fugam capeffens, ab vrbe
recessit, & Austrasios, quos olim sibi aduersa-
rios habuerat, sibi amicos asciuit. Indè, laxatis
scelerum omnium habenis, cum flagitiorũ so-
cijs Francorum fines populabundus inuasit, &
multis stragibus passim editis, multis vastitati-
bus vbique illatis, tandem in Theodorici Regis
conspẽctum venit: à quo per amantem exceptus,
in pristinum gradum restitutus est.

*Mortuo Chil-
derico succe-
dit Theodo-
ricus, & E-
broinus cum
Leodegario
ex monaste-
rio ad pristi-
nas dignita-
tes reuertun-
tur.*

*Ebroini sum-
ma impietas
& scelera.*

Ita ergò præfectus palatij & Maior domus effectus, cogitare cœpit de vlciscendis inimicis, qui eum subregulum, id est, Maiorē domus habere recusauerant. Igitur bellum horrēdum & exitiosum cunctis, qui olim aduersus eum egerant, indixit; eorumque opes ferro & flamma consumpsit. Cumque instar leonis rugientis cuncta vastaret, nullisque cædibus crudelitas eius satiari posset, eò impietatis tandē prorupit, ut ipsum quoque antistitem Leodegarium crudelissimo supplicio interemptum vellet. Nec mora: adhibitis in consilium nequissimis hominibus: Didone & Guaimero, maximè auctoribus, Augustodunum copioso exercitu obsedit: qui & urbem circa mœnia vastare cœpere.

*Ebroinus ob-
fidet Au-
gustodunum
ut S. Leode-
garius inter-
ficiatur.*

Id cernens vir Dei, ne commissam sibi plebem, propter se vnum, illorum furori exponeret, Christi exemplo animam suam pro ouibus suis ponere paratus, cum Clero totius ciuitatis, reliquijs, crucibus, & psallentium choris, obuiam illis processit, sponteque ad martyrij certamen sese obtulit.

*Spoliatur
oculus vir
sanctus.*

At illi, nulla moti reuerentia, eum comprehenderunt, atque extra urbem ductum statim eum, ut Ebroinus iusserat, crudeli ferro oculorum lumine spoliarunt; indeque in quoddam cœnobium abdiderunt: vbi toto ferè biennio admirandū patientiæ & humilitatis de se documentum præbuit. Eodem tempore Gairinus frater eius, Ebroini persecutione cum alijs quoque proceribus profligatus, iussu Regis Theodorici & principis Ebroini ad regiam redire compulsus est: Adductus fuit ex monasterio etiam Leodegarius, contumelijs utiq; & opprobrijs

** al. Gerinus
Gairinus fra-
ter S. Leode-
garij.*

brijs ab Ebroino afficiendus. Cumque vir iniquus eorum calamitatibus impiè insultaret, illi inuicta virtute subsistentes, petulantiam illius constanter redarguerunt, cælestemque vindictam breui affuturam denunciarunt. Vnde magno correptus furore Ebroinus, iussit alterum ab altero separari; ne mutuis sermonibus supplicia lenirent. Auulsus à fratre Gairinus, eiusque verbis ad spem futurę glorię præclare animatus, mox lapidum imbre obrutus fuit: *Gairinus lapidatur martyr.* ille supplicium eam virtutis & pietatis significatione pertulit, vt nemo dubitaret, quin ex corporis ergastulo martyr ad cælos euolaret.

Et quidem B. Leodegarius cum fratre sanguinem profundere cupidus, atrocioribus multò supplicijs reseruatus fuit. Primò enim nudis plantis per quandam piscinã, acutis, clauorum instar, petris constrictam ambulare iussus est. *Diris cruciatur supplicijs. S. Leodegarius.*

Indè humi prostratus, lingua & labijs incisis, & corporis virib. omni ex parte eneruatis, ad blasphemiam Deo inferendã, pro scelus, prouocatus est. At ille in omni supplicio inuictus, diuinũ tacitus implorabat auxiliũ: clarissimũque de Tyranni impietate suo spiritu triumphum agebat. Post hæc Ebroinus eum cuidam VVaningo, in monasterio virginum, quod Fiscanum vocant, custodiendum tradidit: vbi diuinitus recepto linguę vsu, salutaria admodũ documenta magno cum fructu in populo sparsit. Porro Diddo & Guaimerus hoc tandem à Theodorico & Ebroino impietatis suę recepte præmium: vt hic quidem capite damnatus vitam finierit: ille verò cæsus flagellis ac laqueo suspensus interierit. *Diuinitus ei loquela datur. Persecutores viri sancti male pereunt.*

*Leodegarij
sanctitas &
innocentia
caelitus de-
monstratur.*

*Impius E-
broinus mo-
dis omnibus
eam obscura
re nitiitur.*

*Detruncatur
S. Leodega-
rius.*

*Hæc Mola-
nus, in indi-
culo SS. Bel-
gij.*

Cæterùm Leodegarius post multa sanctita-
tis suæ documenta, in monasterio virginum ex-
hibita, postremò fuit cuidam Chrodoberto in
custodiam traditus: qui eum in domum suam
ducturus, illustri sanè miraculo sanctitatè eius
cognoscere meruit. Cùm enim ex itinere fessû
potu refocillari mandaret, priusquam pincer-
na ad eum veniret, ingens lux cælitus descen-
dens, caput eius, instar circuli, circundedit: &
spectantium animos in tantam pietatem per-
mouit, vt tota domus istius familia haud secus
ac sanctum eum veneraretur: eiusque sermo-
nes, vt diuina oracula, deinceps exciperet. At
verò Ebroinus qui modis omnibus illustrem
viri sanctitatem obscurare nitebatur, nimia
inuidia contabescens, tandèm vltimæ crude-
litis suæ misit satellites: qui eum neci da-
rent. Illi ergò veloci cursu ad custodiæ lo-
cum tendentes, acceptum eum è domo viri,
per ignota loca abduxerunt. Cumq̃ue ad cer-
tum quendam locum deuentum esset, ille mar-
tyrij audus, Non est opus, inquit, filij, vt diu-
tiùs vos fatigetis. Cuius causa huc venistis, id
ociùs perpetrate, vt voto vestro fiat satis. Erant
quatuor ad cædem eius missi; è quibus tres sce-
leris conscientia victi, ad eius pedes se prouol-
uerunt, audaciæ impietatisq̃ue veniam postu-
lantes. Quartus verò superbè erectus, districto
gladio ad perpetrandam cædem paratus pro-
cumbentem in preces Sacerdotem capite trū-
cavit. Peregit hoc certamen martyr in loco
Atrebatensis territorij, qui nunc dicitur Syl-
ua S. Leodegarij. Ferunt autem corpus sese
post necem protinùs erexisse, & quasi horæ
spatio

spatio substituisse. Id conspicatus percussor eius, pede eum trussit, ut citius in terram corrueret. Sed miser ille non diu post à dæmonibus arreptus, menteque captus, tandem in ignem se præcipitem dedit, atque expiravit. Corpus verò beati viri iussu coniugis Chrodoberti in villam Sarcingensem magno omnium luctu à ministris deportatum, in exiguo oratorio sexto Nonas Octobris sepultum est: ubi annis duobus & dimidio multis admodum miraculis clarum quieuit.

*Miserandus
interitus in-
terfectoris
viri sancti.*

*Claret mira-
culis post ob-
itum.*

Interim cum fama sanctitatis & miraculorum eius longè lateque manans, ad Ebroini quoque notitiam peruenisset, misit continuo ad rumulum eius nuncium, ut rei veritatem diligenter exploraret. Is verò nuncius propè tumulum consistens, pedeque per contemptum, humum percutiens: En, inquit, mortuum, nulla virtutum signa efficientem. His dictis indè abiit; sed ante quam ei, è quo missus fuerat, nunciare posset, in ipso itinere martyris virtutem experiens, miser animam efflauit. Tribus verò indè elapsis annis, omni lachrymarum fonte plangendus Ebroinus, gladio percussus interiit.

*Vltio diuina
in contem-
ptorem viri
sancti.
Ebroinus
trucidatur.*

Postquam autem miser ille viuendi finem fecit, rerum earum rumor, quem impius inuidia tabescens, opprimere semper conatus fuerat, cum multa laude in regiam penetrauit. Aderat tum illic magna Episcoporum & procerum frequentia: qui cum inter se de sancto martyre conferrèt, pia fuit trium episcoporum de sacro eius corpore contentio. Ansoaldus Pictauensis antistes illud sibi monasterij & consanguinitatis priuilegio vendicare volebat: Hermencharius

*En quanti
feceris anti-
quitas SS.
Reliquias.*

*S. Vindiciani
vitam inue-
nit Lector
11. Martij.*

*Transfertur
S. Corpus e-
ius ad Picta-
uięse solum.*

*a In Nota-
tionibus ad
Martyr.
Roman.*

*2. Octob.
Patria &
& parentes.*

*Pietas ad-
huc pueri.*

Augustodunensis iure episcopatus illud suum esse asserbat. Sanctus verò Vindicianus Presul Atrebatensis, nullo modo id sibi auferri patiens, locum martyrij & sepulchri in sua dicecesi esse contestabatur. Fuit tandem vna omnium Episcoporum sententia, vt ieiunijs & orationibus pium illum confictum dirimerent. Facta igitur communi oratione, Picta- uensi Episcopo sanctum corpus donandum ex indicijs declaratum est: sicque cum debita reuerentia & stupendis per viam virtutibus atque miraculis in nouum amplissimum in B. Martyris honorem extructum templum translatum & sepulturę mandatam est: propè B. Maxentij monasterium.

**VITA S. THOMAE HEREFORDEN-
sis in Anglia Episcopi. Ex ea quam, teste a Baro-
nio, Surius ex Anonimo fidelissimè conscripsit.
Migravit ex humanis anno Domini 1287. Re-
latus à Ioanne Papa X X I I. in numerum san-
ctorum.**

S Thomas Herefordensis antistes, in Bri- tannia maiori, quam Angliam vocant, claris natalibus, patre V Vilhelmo de Cantilupo, matre Milicenta Comitissa Ebro- icensi, ortus est. In ipsa pueritia, cum lite- rarum studijs traditus esset, haud vulgarem de se pietatem præbuit, ætatem moribus tran- scendens, quotidie preces, quas horas Cano- nicas vocant, dicere; & Missæ interesse solebat. Studiorum causa primò ad Oxoniensem Aca- demiam, indè Lutetiam se contulit: vbi logicæ operam dans, & Philosophiæ secreta rimatus
magi-